Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

actis suis in manu missi sunt. ut in eis nullum obsequii ius. aut potestatem reservarint. et sine crimine vixerint. hos in clerum assumi posse. sine cunctatione sanxerunt. Publice vero penitentes criminosos illiteratos. digamos. repudiatarum maritos. ex adulterio natos. ab hereticis baptizatos. et qui se ipsos absciderunt. a sacris ordinibus arcendos. et energuminos in clerum non recipiendos. Sed et filios presbiterorum ad sacros ordines non admittendos nisi quos vel habitus religionis vel spiritualis vite honestas commendat. Penitentes si necessitas exegerit. inter hostiarios deputari. vel inter lectores. ita ut evangelium vel apostolum non legant. Si autem ordinati sunt inter subdiacones haberi conceduntur. ita tamen ut manum non imponant. aut sacra contingant. Penitentes autem dicimus eos qui post baptismum pro homicidio. aut pro diversis criminibus aut gravissimis peccatis publicam gerentes penitentiam sub cilicio. divino fuerint altario reconciliati. Similiter transmarinos et incognitos homines sive clericos aliarum ecclesiarum neque ordinari neque ordinatos recipi concedunt. sine commendaticiis litteris episcoporum suorum.

Qua ratione mutatio possit fieri ordinatorum.

Mutatio episcoporum de suis locis ad alia loca nulla ratione debet fieri nisi pro magna utilitate vel necessitate cogente. Et hoc quidem non per ipsos fieri oportet sed consilio et invitatione coepiscoporum. atque auctoritate romani pontificis. Mutatio similiter clericorum sive presbiterorum non sine magna discretione fieri debet cum consilio et auctoritate episcoporum suorum. Clericum in ecclesiis duarum civitatum ascribi sacri canones vetant. Presbiteros quoque relicta cura ecclesiarum suarum profectionem suscipere. sive ad orationes. sive quolibet inconsulto episcopo non oportere testantur. Determinatur quoque que sint que necessario presbiteros scire oporteat. id est librum sacramentorum. lectionarium. baptisterium. compotum. canonem penitentialem. psalterium. omelias per circulum anni dominicis diebus et singulis festivitatibus aptas. et multa alia que de vita et conversatione sacrorum ordinum vel rationabiliter dicta sunt vel necessario facienda.

De indumentis sacerdotum. Incipit IIII. pars.

Nosse oportet quare sacerdotes et ministros quo ideo singularis est in sacro ministerio habitus attributus ut per id quod foris apparent quales intus esse debeant ostendatur. Sacrorum autem vestium ritus partim a veteri testamento assumptus est partim a patribus novis additus. Legimus quod moyses aaron fratrem suum cum filiis eius ad hostium tabernaculi testimonii sanctificandum applicuit et lotum aqua tunica bissina vestivit. Deinde zona precinxit et vestivit eum tunica interiore. et imposuit ei superhumerale. et cinxit eum secundum facturam structuram superhumeralis. et imposuit super eum logion. id est rationale in quo erat manifestatio et veritas. et mitram imposuit super caput eius. et super mitram in fronte ipsius laminam auream in qua sculptum erat nomen domini. Septem sunt predicta enumeres instrumenta pon